Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Baruch: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Et posuit thronum eius super thronos regum
qui erant post se in babilone. et mu
tavit vestimenta carceris eius. Et co
medebat panem coram eo semper
cunctis diebus vite sue. Et cibaria eius
cibaria perpetua dabantur ei a rege ba
bylonis. statuta per singulos dies.
usque ad diem mortis sue cunctis
diebus vite sue. Explicit Ieremias. In
Liber cipit prologus in Baruch.
iste qui baruch nomine
prenotatur in hebreo
canone non habetur. sed tantum in vulgata
editione. similiter et epistola ieremie.
Propter noticiam autem legentium hic
scripta sunt. quia multa de Christo novis
simisque temporibus indicant. Incipit
Baruch.
Et hec verba
libri que
scripsit ba
ruch filius
nerie filii
maasie.
filii sede
chie filii sedei filii helchie in baby
lonia in anno v. in septima die men
sis. in tempore quo ceperunt chaldei ie
rusalem. et succenderunt eam igni. Et
legit baruch verba libri huius ad au
res iechonie filii ioachim regis iuda.
et ad aures universi populi venientis ad
librum. et ad aures potentium filiorum re
gum. et ad aures presbiterorum. et ad aures
populi a minimo usque ad maximum
eorum omnium habitantium in babilonia
ad flumen sudi. Qui audientes plora
bant et ieiunabant. et orabant in conspectu
domini. Et collegerunt pecuniam secundum quod
potuit uniuscuiusque manus. et miserunt in
ierusalem ad ioachim filium helchie filii sa
lom sacerdotem. et ad sacerdotes. et ad omnem
populum qui inventi sunt cum eo in ierusalem. cum
acciperet vasa templi domini que ablata
fuerant de templo. revocare in terram
iuda. decima die mensis syban. vasa
argentea que fecit sedechias filius iosie
rex iuda. postquam cepisset nabuchodo
nosor rex babylonis iechoniam et principes
eius. et vinctos et potentes et populum ter
re ab ierusalem. et duxit eos vinctos in babylo
nem. Et dixerunt. Ecce misimus ad vos
pecuniam de quibus emite holocau
stomata et thus. et facite manaa. et offer
te ad aram domini dei nostri. et orate pro vita
nabuchodonosor regis babylonis. et pro vi
ta balthasar filii eius. ut sint dies
eorum sicut dies celi super terram. et det dominus
nobis virtutem. et illuminet oculos nostros.
ut vivamus sub umbra nabuchodonosor regis
babylonis. et sub umbra balthasar filii
eius. et serviamus eis multis diebus.
et inveniamus gratiam in conspectu eorum. Et pro
nobis ipsis orate ad dominum deum nostrum. quia
peccavimus domino deo nostro. et non est aversus fu
ror eius a nobis usque in hunc diem. Et le
gite librum istum quem misimus ad vos
recitari in templo domini in die sollempni
et in die oportuno. Et dicetis. Domino deo
nostro iusticia. Nobis autem confusio faciei
nostre sicut dies hec omni iuda. et habitato
ribus in ierusalem. regibus nostris et principibus
nostris. sacerdotibus nostris. et prophetis nostris.
et patribus nostris. Peccavimus ante dominum deum nostrum
et non credidimus diffidentes in eum. et non fui
mus subiectibiles illi. et non obaudivimus
vocem domini dei nostri ut ambularemus in man
datis eius. que dedit nobis a die qua eduxit